



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

III. De praua consuetudine abbatum erga monachos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

gis retro temporibus non curauerint celebrare, propter quod circa regulares obseruantias idem ordo non mediocriter est collapsus, nos eisdem abbatibus nostræ prouinciæ firmiter & districtè præcipiendo mandamus, vt prouinciale capitulum suum infra festum resurrectionis venturum proximo celebrent, iuxta formam a sacris Canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in seipsis quam in suis subditis, tractent & ordinent diligenter: alioquin nos in proximo prouinciali Concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de iure possumus, procedemus.

## II.

Exnunc tamen eisdem abbatibus præcipimus & mandamus, vt monachos fugitiuos in sæculo diuagantes reuocari procurent. Et quod in singulis monasteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles seu alias delinquentes enormiter monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludentur. Sed nec licitum sit abbatibus, cum nec vnquam licuerit, monachos ad ordinem strictiorem transeuntes minime absolueri ab obedientia, quæ monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.

Monachos  
fugitiuos  
reuocent.

Carceres  
construant.

Monachos  
ad strictio-  
rem ordinem  
transeuntes  
ab obedientia  
non absoluant.

## III.

Illam & prauam abbatum consuetudinem reprobamus, qua abbates pro excessibus leuibus, & nonnunquam simulatis offensis passim, & indifferenter de monasteriis ad monasteria monachos suos mittunt, cum delictum potius illic puniri & mori debeat vbi committitur & patrat, cum nec tales missi ad alia monasteria peccata sua lu-

Pro leui-  
bus offensis  
ad alia mo-  
nasteria ab-  
bates non  
mittant.

ANNO  
CHRISTI  
1274.

geant, sed vagentur potius dissolute. Quod si necessitas exigit vt monachus ad monasterium aliud transmittatur, hoc abbati non liceat, nisi causa missionis & tempus reditus per loci episcopum ordinentur.

Si necessitas trans-  
missionem  
exigat, cau-  
sa eiusdem  
& tempus  
reditus ab  
episcopo  
ordinetur.

IV.

Sunt insuper quidam abbates, qui indulgentiis & remissionibus faciendis in mitris, annulis, sedibus\* defferendis, nec non in benedictione sacramentorum vestium, & ecclesiasticorum vasorum, & ceteris quæ ordinem & officium ecclesiæ requirunt, sibi pontificum potestates vsurpant: his districte præcipiendo mandamus, vt de cetero talia non attemptent, aut in proximo prouinciali Concilio fidem nobis faciant priuilegiorum, quibus sibi talem vendicant potestatem.

Vasa sacra  
& similia  
non benedi-  
cant, nisi  
habeant pri-  
uilegia pon-  
tificia, de  
quibus si-  
dem faciât.

V.

Hæc eadem in canonicis regularibus, quantum diuersitas religionum sustinet, volumus obseruari; salua dignitate & priuilegio Saltzburgensis capituli, cuius ordinationem nos archiepiscopus nobis specialiter reseruamus. Ceterum in aliis quæ ad morum correctionem & obseruantias pertinent, regulares sibi in prouinciali capitulo sic prouideant, ne nos ipsis in hoc deficientibus prouidere cogamur; maxime in moderandis eorum euectionibus, & quibusdam vanitatibus, quæ ad pompam labentis sæculi pertinent, refrenandis in ipsis.

Eadem ob-  
seruentur a  
canonicis  
regulari-  
bus.

VI.

Ad hæc cum prædecessores nostri bonæ memoriæ pontifices diuersarum religionum fratribus in confessionibus audiendis, remissionibus & in-